Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

missus scilicet peccatis quod cum mittetur. Et stagnum vero ignis in quo
missus est diabolus. profunditas intelligitur inferni. in quo
impii cum suo capite damnati. in tenebris perpetuis obuolucris
quin licet sit ibi ignis. non erit ad lucendum sed ad miserorum corpo
ra cremanda. corpora enim reproborum erunt fomentum ignis.
ideoque ipse ignis erit indeficiens. quia erunt et corpora
immortalia. quibus semper accendetur. Sulphur autem et igne ac
cendit et fetorem generat. quia sicut dictum est. et ignis erit ibi
perpetuus et fetor intolerabilis. Unde et sequitur. Et cruciabuntur
die ac nocte in secula seculorum. Cum in inferno semper tenebre sint
iuxta illud. in tenebras exteriores. quod est
quod hic dicitur cruciabuntur die ac nocte. Sed sciendum quia per uicissi
tudinem diei et noctis. hic dies aut nox ponuntur. sed propter mutabi
litatem penarum. caloris scilicet et frigoris. Quo contra de sanctis dicitur.
quia iam tempus non erit. idem nulla mutabilitas. Quod exponens
paulus dicit. Omnes quidem resurgemus. sed non omnes immutabimur.
Apud electos enim nulli rei uicissitudo erit. sed sicut erunt immorta
les corpore. sic erunt et incommutabiles mente. Reprobi autem licet
sint immortales corpore tamen corruptionem sustinebunt quia
a uermibus comedentur et mutabilitatem animi patientur. semperque de
ficient et nunquam ad defectum pueniunt. Hecque itaque mutabilitas
penarum hic exprimitur per diem et noctem. Aliter. Diem possumus refer
re ad gloriam iustorum. noctem ad penam reproborum. Illi quoque qui in inferno
erunt die et nocte cruciabuntur. recordantes bonorum iustorum et malorum
suorum.

Et uidi thronum magnum et candidum. xx. l. v.

Thronus ecclesiam. cum xpo singulariter et specialiter presidet. Magnum
dicitur. quia ecclesia ex multitudine populi constat. et per mundi par
tes dilatatur. candidus. quia fonte baptismatis. ab omni abluitur
macula criminum. Et sedentem super eum. subaudit uidi. per quem dominum
hic xpm intelligitur. qui habitat in cordibus fidelium. iuxta illud.